

TEMI DI VERSIONE

(Verbi deponenti)

33.

Valore di Agesilao

Thebāni, adepti victoriam, cum universo exercitu ad urbem Lacedaemonem proficiscuntur, facilem esse expugnationem rati, quoniam Lacedaemonii ab omnibus sociis deserti erant. Lacedaemonii Thebanorum impetum verentes, regem suum Agesilaum ex Asia domum arcessiverant, ut patriam tueretur; nam post Lysandri mortem uni Agesilao omnes fidebant. Cum Agesilaus reverti moraretur, exercitum conscripserunt et obviam hostibus profecti sunt; sed primo impetu ab exercitu Thebanorum in fugam vertuntur. Cum iam Lacedaemoniorum copiae fere omnes deletae essent, supervenit rex Agesilaus, qui, suos hortatus ut rursus proelium redintegrarent, claram victoriam adeptus est; ipse tamen graviter vulneratus est.

Vittoria di Cesare sugli Elvezi

Postquam Caesar Helvetios superavit atque bellum confecit, in castris Helvetiorum tabulas repperit, litteris Graecis confectas, in quibus nominatim ratio (= il computo) erat eorum, qui domo discesserant atque arma cepserant, et item separatim ratio puerorum, senum mulierumque.

Capita Helvetiorum erant milia ducenta sexaginta tria; Tulingorum milia triginta sex, Latovicorum quattuordecim milia; Rauricorum viginti tria milia, Boiorum triginta duo milia; ex iis qui arma cepserant, circiter milia nonaginta duo. Summa omnium fuit circiter milia trecenta sexaginta octo. Eorum qui in proelio superfuissent et domum revertentur, cum Caesar censum habuisset, repperit numerum milium centum et decem.

TEMI DI VERSIONE

(Terza coniugazione irregolare)

59.

Fortezza di un fanciullo

Ex (= secondo) vetusto Macedoniae more, Alexandro sacrificanti nobilissimi pueri olim adsistebant. Uni ex iis carbo ardens forte decidit ex turibulo, quod tenebat, atque brachio haesit. Puer eo ita urebatur, ut odor adusti corporis ad nares circumstantium perveniret. Ille autem nec brachium flexit nec ingemuit, sed immobilis restitit et dolorem silentio repressit. Nam, si brachium flexisset aut turibulum dimisisset, sacrificium impedivisset; si gemitum edidisset, aures et mentem regis a re divina avertisset. Alexander, qui hoc animadverterat, patientiam pueri delectatus, ex consulto (= a bella posta) sacrificium produxit; nec tamen a proposito reppulit eum, qui perstitit impavidus donec sacrificium peractum est.

Metellus Macedonicus; cum urbem hostium vi expugnare non posset, ad dolum convertit animum. Re diu perpensā, tandem consilium capessivit, quo hostes fefellit et propositum suum ad exitum perduxit. Exercitum magno impetu nunc ducebat illuc, nunc hinc retrahēbat; modo (= ora) hos ascendebat montes; modo illinc, ubi consederat, decurrebat. Sic et hostibus et Romanis militibus consilium suum pariter occuluit. Tandem amicus ex eo quaesivit quid hoc belli genere sibi proponeret. « Absiste » — inquit Metellus — « ista quaerere; namque tunicam meam exurērem, si credērem eam meum consilium cognoscere ». Denique, cum alio iter direxisset, subito id ad urbem reflexit, hostesque, qui periculum neglexerant, apprehendit et plane devicit.

Fratello e sorella

Praecepto (= secondo l'insegnamento) huius fabulae, saepe te considera. Habebat quidam filiam turpissimam, idemque habebat filium insignem pulchra facie. Hi olim, cum speculum vidissent in cathedra matris, pueriliter ludentes sese inspexerunt.

Hic se formosum iactat; illa fervet ira nec sustinet fratris iocos. Ergo filia ad patrem decurrit, magnaue ira fratrem accusat, quod (= poiché) speculum, rem feminarum, tetigisset (trad. coll'indic.); cum esset ille vir. Pater statim omnia intelligit et utrumque ad se allicit, ambos osculis contērit (= copre) et dicit: « Cotidie ante vos speculum suadeo ut habeatis: tu, fili, formam ne corrumpas vitiis; tu, filia, ut istam tuam faciem moribus vincas bonis ».

TEMI DI VERSIONE (Quarta coniugazione passiva)

31.

Cicerone scopre il sepolcro di Archimede

Archimēdis sepulcrum; ignoratum a Syracusanis; saeptum undique et vestitum vepribus et dumētis, a Cicerone repertum est. Sciebat hic enim sphaeram cum cylindro in monumento positam esse, ubi vir ille praestantissimus sepultus esset (traduci coll'ind.). Cum autem Syracusis quaestor (= come questore) esset, locus ab eo inventus est ad (= apud) portas Agrigentinas, stirpibus et dumētis quasi coopertus, ubi magna frequentia sepulcrorum erat. Ibi, omnia collustrans oculis, animadvertit Cicero columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Statim multi servi cum falcibus immissi sunt, ut locus purgaretur et expediretur. Cum aditus apertus esset, Graeca inscriptio reperta est in basi, quae declarabat clarissimum mathematicum ibi esse sepultum.

TEMI DI VERSIONE

(Ablativo assoluto - Coniugazioni perifrastiche)

39.

Cesare fa strage dei Germani

Germani, post tergum clamore audito, cum suos interfici viderent, armis abiectis signisque militaribus relictis, celeriter e castris egressi sunt. Cum ad Rhenum pervenissent; Romanis acriter insequentibus, se in flumen praecipitavere atque ibi timore, lassitudine, vi fluminis oppressi, mortui sunt. Milites nostri, per paucis vulneratis, omnes incolumes in castra se receperunt. Caesar Germanis, quos retinuerat, digrediendi potestatem dedit. Illi autem supplicia cruciatusque Gallorum veriti, quorum agros populati erant, discedere recusarunt et apud eum manserunt. His Caesar libertatem concessit.

40.

Doveri dei giovani e dei vecchi

Quoniam non eadem officia omnibus aetatibus tribuenda sunt, sed alia sunt officia iuvenum, alia seniorum, pauca nobis de hac distinctione dicenda sunt. Adolescentibus senes maxime verendi sunt atque ex iis deligendi sunt optimi, quorum consilio et auctoritate iuvenes nitantur; nam inscitia iuvenum regenda erit senibus, qui longa aetate magnum omnium rerum usum (pratica) adepti sunt. Praeterea haec prima aetas a libidinibus arcenda est et exercenda in laboribus et animi et corporis. Atque etiam cum animos relaxabunt et dabunt se iucunditati, maxima temperantia iuvenibus utendum erit, ut verecundia servetur.

Senibus autem labores corporis minuendi sunt; animi exercitationes contra sunt etiam augendae; iis enim non solum amici, sed iuvenes et maxime res publica consilio et prudentia adiuvanda est.